



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Landelinus Conf. 15. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

15. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 377
genio tutelari ad ripas Silari asportatus,
placide inter umbras arboris animam
victtricem cælo transmisit, puer, si annos;
senex, si triumphos numeremus. *Ex Su-
vio.*

*Neganda sunt terrena omnia, ut melio-
ribus abundemus, & contemptu uniuerso-
rum Christus sequendus est, & spiritua-
lium Æternitas terrenorum est damno com-
paranda. S. Hilarius in Evang.*

S. LANDELINUS CONF. 15. Iunii.

IN latrones incidisti, quisquis è bono-
rum sodalitia in malorum conturber-
nium transisti. Hoc adè LANDELINO
crede. Hic è prima Gallorum nobilita-
te, & à puero inter literarum & pieta-
tis studia educatus, dum aures vocanti
DEO claudit, aperit avocantibus; dum
amicis esse amicus ad aram studet, penè
ad inferos fuit. Certè quam inter religio-
sorum hominum cohortes militare co-
gnati noluerunt, inter publicos prædo-
num manipulos mereri viderunt. I nunc
sanguis, & aspergi maculam generis
splendori querere, cum in DEI seruitium
abeunti tui; at tu adolescentia audi,
quantum custodi Angelo debeas! Diri-
piendis cuiusdam ædibus nox erat dicta
à LANDELINO. Sed fortior mors LANDE-
LINI familiam prior diripuit, socium
subitò auferendo, quem in paucis ille

Aa 5 cha-

378 VITÆ SANCTORUM. 16. Iunii.
charum habebat. Ob id tristiori in som-
nis bonus genius astitit, & malum so-
cium à peioribus geniis ad inferorum
flamas abripi monstrans, *Heus*, aje-
bat, *an & nunc socius huic eris?* Enim-
verò non placuit jam Theseum esse, Piri-
thoo ad orcum abeunte. Damnat proin-
de vitam pristinam, ter supplex ad DD.
Apostolorum it limina, & post extracta
compluria cœnobia, & *Magna Matri*
templum, post edita miracula, sub an-
num DC. L. cilicio, & cineri incubans,
sanctè emoritur. Ubi tunc socii olim
peccantis? crede iterum *Landelino*, quis-
quis cum pluribus peccas, aut solus fle-
bis, aut serò flebis. *Ex Surio.*

*Melius est habere malorum odium, quàm
consortium: sicut bona multa habet com-
munis vita Sanctorum; sic plurima mala
societas affert malorum.* Isidor. lib. 2.
soliloq.

& BENNO EPISC. 16. Iunii.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine
monachus, ex monacho Misnensium
Pontifex, Slavos sub Christi jugum egit.
Captus bello Saxonico ab Henrico IV.
Imp. & libertati restitutus, Romam a-
biit, pars magna illic Concilii futurus:
inde redux templi sui claves, quas in
Albim, cum iter ingrederetur, abjece-
rat, in pisce recepit: pedo aquam è ter-
rà,